

Bosnae interitum, narrat B. Bernardinus Aquilanus, tunc Vicarius Vicariae Bosnae, quod Turcae adhuc 38 loca fratrum in Bosna destruxerunt,⁸⁸ sed tot conventus illo tempore certe non habebant fratres in Bosna. — Ergo, praeter conventus formales, qui ut tales numerabantur et intrarunt in cathalogos generales Ordinis, existebant et parvae residentiae seu hospitia fundata a conventibus et erant quasi eorum expositurae pro cura populi simulque centra respectivarum parochiarum.

Omnia haec adhuc magis confirmantur quibusdam documentis contemporaneis. Sic a. 1457 nobilis vir Nicolaus Testa ex Bosna licentiam quaerit Romae a S. Sede ut possit »in quadam parochiali ecclesia in Castronovo Regni Bosnae sita... aliquem idoneum presbyterum secularem« deputare.⁸⁹ Ipse quaerit licentiam, quia »in partibus illis ordinis fratrum Minorum professores in similibus parochialibus ecclesiis et locis deputari consueverint«, quique firmati sunt diversis constitutionibus, privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis per sedem apostolicam concessis.⁹⁰ Similiter eodem anno Radmoy, frater regis Bosnae Stephani, licentiam petit pro capella B. V. Mariae in Podenubac infra limites Regni Bosnae a se construi facta, nonnullos saeculares presbyteros deputandi, quia »in partibus illis ordinis fratrum Minorum professores in similibus cappellis et locis deputari consueverint«.⁹¹ Immediate vero post Bosnae a parte Turcarum occupationem vicarius Vicariae bosnensis et dalmaticae b. Bernardinus Aquilanus de fratribus bosnensibus et dalmatinis loquens, hos dicit simplicius incedere, dum illi »bosnenses cum saecularibus magis domestici sunt, utpote qui curam parochialem habere a Romana curia compulsi sunt, eo quod in partibus illis nulli saeculares sacerdotes neque alterius cuiusquam religionis habentur«, ⁹² et iterum:

⁸⁸ Lemmens, B. Bernardini Aquilani Chronica fratrum minorum observantiae, Romae 1902, 110.

⁸⁹ Theiner, Mon. Slav. Mer. I, 428 n. 607.

⁹⁰ Ibidem.

⁹¹ Theiner, Mon. Slav. Mer. I, 428 n. 608.

⁹² Lemmens, B. Bernardini Aquilani Chronica fratrum minorum observ., 110.